condoleo, et vehementer cupiam mea ſaltem abſentis amici precatiuncula adeſſe poſſe
laboranti. Dominus ipſe praeſto eſt: ut ne nimium ~~minimum~~ ſoliciti ſimus. Effundamus coram eo
corda noſtra. Ita fiet ut quantum nobis fiduciae noſtra imbecillitas detrahit: tantundem
animi ex eius providentiae incredibili bonitate accedat. Oboriuntur et prudentiſſimis Ec-
cleſiarum gubernatoribus horribiles tempeſtates, quae nullis humanis conſiliis ſupera-
ri poſſunt. Deus autem omnia poteſt, et fidelis eſt, et in ipſo articulo cum omni pror-
ſus ſpe decidimus, ſuccurrit, in illum protectorem noſtrum non ſolum utrumque oculum: ſed
totam mentem totumque animum defigere nos oportet, multum eius inexhauſta miſeri-
ἀνδρίζωμεν cordia confiſos. Quamobrem ἀνδρίζωμεν σφόδρα: μὴ φοβηθῶμεν. μετ' ἡμῶν ὁ κύ-
ριος. De colligendis in Hollandia Eccleſiis quam laeta nunciaſti. Utinam ex iſtis patriae
ruinis, Chriſto aliquod novum templum excitetur. ex illo pulvere Dei gloria exiſtat.
Benedictus Deus qui e mediis tenebris lucem educit, ex ignominia, laudem, ex deſpe-
ratis rebus, ſpem, et conſolationem, e ſumma triſtitia, gaudium quod nunquam au-
feretur. Res hic tranquillae ſunt in ſchola, et in Eccleſia magno Dei beneficio. fa-
miliam quoque habeo minus turbulentam, nam hoc onere domeſtico haec aetas me monet,
ut me paulatim levem, facilius ut ſcholicis officiis queam ſupereſſe. Cacoethes quod-
dam me tenuit alendi Liberos alienos, quod feci equidem his annis proximis cum
diſpendio rei et famae. Tanta eſt et parentum ingratitudo, et perverſitas iuventutis.
illud ipſum malum ſenſim aetatis ingraveſcentis imbecillitas ſanat, qua fit ut cogar
mecum domi eſſe, et contractius habitare. Dominus qui pavit me, fovitque ab infantia,
ſeneſcentem non deſeret: quum defecerit virtus mea, nuſquam a me diſcedet: Eum
ſupplex rogo ut ſpiritus ſui gratia tuum animum corroboret, eumque qui teneat: pe-
dibus tuis cito ſubiiciat. fiat. Vale. 15. Novembris. Alethea mea vos amat. Pre-
cor gaudium cordis tuae honeſtiſſimae coniugi: et proſperitatem dulciſſimis liberis.
[= Cat. Gotob. 1573. Bremae. Te ex animo diligens, Iohannes Molanus.
Nr. 233]

M. Hermanno Rennechero Wittebergam Pax chriſti.

Henricus Heuken Brem. iuvenis eleganti ingenio et mox infeliciter extinctus quum
nuper iſthic viveret, doctiſſimiſque viris charus eſſet: laudavit mihi per epiſtolam, non
[= Mer. ſolum eruditionem egregiam: ſed etiam bonos mores et integritatem M. Hermanni Re-
a. 12 = necheri, ut eius viri, qui bonorum amore et benevolentia dignus eſſet. Tum ego M.
Nr. 217] Hermannum amavi interea. Et gaudeo mihi tuis literis provocato, datam occaſionem
familiariter et ingenue reſcribendi. Primum pro exegeſi, quam tuis eruditis literis
iunxiſti gratiam habeo, gratiſſimum munus eſt non modo mihi cui in primis deſtinata
eſt: ſed multis hic piis doctiſque hominibus, quorum inter manus tam diu haeſit, hac-
tenus ut mihi non ſit facta copia eius perlegendae. Avidae ſunt mentes bonorum, ſi quid
oblatum eſt eiuſmodi, quod pertinere videatur ad orthodoxae fidei defenſionem. Indulſi
ergo eorum ſtudiis, et libellum una cum tuis literis M. Metningo, aliiſque eruditis prius
permiſi utendum, fruendumque, quam ipſe accurate inſpexiſſem. Nunc cum mihi tandem eius
copia facta eſt, ſi quid a ſcholaſticis negotiis vacui temporis habeo, id ſcribendis Epiſtolis
totum inſumo, paginas tamen aliquot tui tractatus ſtudioſe legi, valdeque recreatus ſum illa diſ-

disputatione de consociatione, quam per fidem habemus cum filio Dei. Quam foelix est hoc nostrum seculum: cui tanta suppetit copia praestantissimorum hominum, qui cum optimo quoque religiosa necessitatis scriptore certare possint. Equidem de Exegesi non ausim plura donec eam exacte cognouero, tantum nunc tuo erga me officio, qui nihil de te bene merito, tam elegans donum misisti, magnas gratias ago. scholia quae petis, curo describenda, missurus prima occasione. In obstinatos istos Ecclesiae puriores hostes, merito stomacharis, obsistunt enim gloriae filii Dei, et multas animas secum trahunt in foueam perniciosissimi erroris. Sinite illos (ait seruator) caeci sunt, et duces caecorum. Qui ne quid proficiant, excitat Deus et in ista et in aliis Academiis, quaedam Ecclesiae lumina: quibus pro inuicta ueritate pugnantibus, istorum amentia sic illustretur: ut neminem facile praesertim oculatum in fraudem illicere possint. Negat Christus fieri posse ut electi seducantur, id ut ne fiat: ipse animarum nostrarum pastor, et Episcopus, subinde noua dona dat hominibus, Doctores, scriptores, pastores, quorum uehementissima oratione, ruentibus reprobis, Electorum pedes ab interitu, lapsique reuocantur. Cuiusmodi hic uester exegeta est, qui neruos idololatriae tenedia (quod aiunt) bipenni incidit, eosque quibus cor est, ab idolo ad Christum regnantem reducit. Discipuli aliquot ineunte uere isthuc ituri sunt (ut opinor) sed ea est rerum caritas, ut plerique necessariis familiae suae sumptibus nequeant superesse. Credo hanc terribilem quandam esse iram Christi contemptum uerbi sui uindicantis. Vale uir eruditissime, et nos perge amare. Salutem uelim nuncies uiris clarissimis. Doct. Caspari Cruciger, et Doct. Sebastiano Theod.

Bremae. Nonis Martii. 15 14. Iuuentutis custos et amans.

Iohannes Molanus

Doctori Henrico mollero Witteberge.

Nr. 234)

[= Maer. n. 12; Nr. 218]

Pax Christi.

De furijs illis nouum aliquod monstrum per quietem machinantibus nimis verus vates fuisti. hem quo redacti sumus? Scilicet vt a certis Doctoribus cum aliorum contemptu pendeamus. Nisi enim dixeris te esse Jacobi: non erit Lucerna pedibus tuis. Sacrilegij hoc simile est. nec enim possumus in confessione eius quae in nobis est spei vel ad Jacobum respicere, vel ad Andream aliquem: quin pariter Christi desertores reperiamur. Sed ego ista multo melius intelligenti desino [illegible]. Ad arcem a Turcis occupatam pertinet hoc quoque, Doctor clarissime, quod isti homines noui, arcem Academiae et Ecclesiae vestrae inuadere moliuntur. Namque vt vastatio Turcica: sic ista Sophistarum Tyrannis. quid esse aliud tuae prudentiae videtur? quam terribilis ira Christi, contemptum Verbi sui vindicantis? Tum autem quod ille nuper e Vespertilis suis egressae nitedulae, toto pene orbe celebratam scholam ausae sunt arrodere: non sine Fato quodam vobis quidem salutari, at ipsis misero contingere, breui (vt opinor) ostendent, σοφισταὶ μάρτυρες [illegible]. Illud de peregrinantium inopia certe grauiter me commouit. Scripsique de hac eadem re ad alios fratres. nisi nobis disciplina deesset: essent hic quoque qui factum vestrum humanissimum liberali animo imitari conarentur. Non audeo scribere, in hac nostra Ciuitate, quam multi contabescant inopia et esuritione. idque hinc fit maxime. quia gens barbara (vt dici solet) odit disciplinae vincula. Nihil agit εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Nicolaus iste tuus imo meus potius in examine proximo virum se praebuit. Excussi eum ab ipsis vsque rudimentis, requiritur in eo exactior cognitio syntaxeos. Eam hac aestas praestabit. exploraui hoc quoque quantum valeat stylo: Efficiam vt exitu aestatis suo